DISPVTATIO
De
EMPTIONE, VENDITIONE, ADDICTIONE, IN DIEM PACTO LEGIS COMMISSORIÆ,
miſſoriæ, Retrovenditione, & alijs ad Emptionis, Venditionis Contractum pertinentibus Juribus.

Quam
In ſuo privato, quod Lipſiæ habet, collegio Juridico proponit

M. ANDREAS Kleſſen / Halberſtad. Sax

Reſpondente

HENRICO SCHWEIKERO
Lipſienſi.

HALÆ SAXONUM,
Excudebat CHRISTOPHORUS BISMARCUS.

ANNO M.DC.XIII.

VIRO

Magnifico, Clariſſ. ac Experientiſſimo

Dn. ANDREÆ DORERO

Doct. Medico celeberrimo

Illuſtriſſ. ac Generoſiſſimi Principis ac Domini, Dn. JOHANNIS GEORGII, Ducis Saxoniæ, Iuliæ, Cleviæ & Montium, &c. Archiatro longè digniſſimo

Dn. Mæcenati, Promotori ac Affini meo exoptatiſſ.

Hoc quicquid eſt chartacei muneris

DO

DICO

In mei

Commendationem

Favorem

Amorem

Henricus Schvveickerus

Reſp.

THESIS I.

Contractus ex conſenſu eſt contractus conſtans ſolo & nudo conſenſu, ſine alio adminiculo, (a) in quo alter alteri obligatur, (b) in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præſtare oportet. (c)

De contractibus ex conſenſu in gener

(a) *Licet in omnibus contractibus conſenſus requiratur* l. 1. §. 2 & 3. ff. de pact. gl. & Dd. ibi. *cum contractus non reddatur, in invitum* l. invitum C. de contr. empt. l. ſicut C. de O. & A. l. ne emere C. de jur. de lib. l. cum poſtulaſſem ff. de damn. infect. l. Imperator ff. de contr. empt. cum ſim. *tamen ſolus ille conſenſus in alijs contractibus non ſufficit, ita ut ſine alio adminiculo produca[t] obligationem & actionem efficacem: In hoc autem contractu [n]oſtr[o] ad perfectionem ſolus & nudus conſenſus ſine rei literarum vel etiam verborum per interrogationem ac reſponſionem prolatòrum interventu ſufficit,* §. fin. Inſt. de Obl. pr. Inſt. d. Obl. ex conſ. *Ex his oritur conſectarium, quod muti & ſurdi hos contractus celebrare poßint, dummodo per facta & ſigna conſenſus declaretur. Hæc ergò contractuum ſpecies à realibus contractibus eò differt, quod in hoc ſolus conſenſus ſufficiat, in illis nihil operatur ſolus conſenſus, ſed interventum rei adeſſe oporteat* t. tit. de Ob. ex conſ. (b) *Altera differentia in quibus hi contractus differunt à realibus, eſt, quod plerique cæteri contractus ejus ſint natura, ut unus tantùm principaliter obligetur, ut in mutuo mutuarius in ſtipulatione promiſſor: Hi autem qui ſolo conſenſu perficiuntur, ultro citroque ſunt obligatorij puta, in emptione tenetur emptor ad precium venditor ad tradendam rem venditam & ſic de alijs; Hic merito quæritur, an contractibus μονοπλεύροις competat hæc definitio, quod ſint ultro citroque obligationes?* l. Labeo 19. ff. de V. S. *Nos*

affirmativam defendimus; quia verba ultrò citroq; idem ſignificant, ac ſi dicas negocium ſive cauſam habens l.7.§.ſed & 2. cum ſeqq ff.de pact.l.ſi in area 33. ff.de cond.indeb.in verb.quia nullum negocium inter nos contrahitur l.ſervus 19.in verb. quoniam mandati actio ultro citroque eſt ff.mandati. Diſſ.Mynſ.ad §.omnium n. 3 Schneid.ad §.fin.n.5.Inſt.de Oblig. (c) In f.Inſt.hujus t.l. conſenſu in f ff.de O.& A. *Hiſce enim voculis à ſtipulatione vel verbalibus contractibus potiſſ.differt In his contractibus nudi conſenſus interdum ea quoq; officio judicis, ex bono & æquo præſtanda ſunt*, d.l.conſenſu 2.in f. l.quia tantundem ff.neg.geſt. *de quibus expreſſe nihil actum videtur, ut ſunt, uſuræ, fructus, intereſſe, aliæ quædam acceſſiones*, quod fuſius in §.actionum a. Inſt. de de action.& per Dd.in l.quicquid adſtringendæ ff.de V.O.expenditur. *In ſtipulatione v.ea ſolummodò præſtantur, quæ expreſſe deducta & poſita ſunt*, all.t.Inſt.de O.ex conſ.l.6.§.1.ff.de contr.empt. *Deinde etiam differt à ſtipulatione eò, quod hic ſolus conſenſus ſufficiat ſine expreſſæ promiſſionis interventu, in ſtipulatione autem requiratur, ut is conſenſus per præcedentem & ſequentem reſponſionem debita ſolennitate exprimatur* l.99.in pr. ff.de V.O. *Deniq; à contractibus ex literis hi contractus differunt; quod ſine ſcriptura etiam inter abſentes celebrari poſſint* t.t.de Obl.ex con.

II.

Species obligationum quæ conſenſu perficiuntur ſunt; emptio, locatio, ſocietas, & mandatum.

Hæ ſpecies enumerantur in tit.Inſt.de Obl.ex conſen. & in l. conſ. 1.ff.de O.& A. *In hac noſtra diſquiſitione tantum primam ſpeciem delineabimus, ſequentium explicatio in ſubſequentibus diſputationibus deducetur.*

III.

Emptio, venditio, (a) eſt contractus Jurisgentium, (b) nominatus (c) in quo per conſenſum res ad transferen-

rendum habiles precio commutantur, eá ratione, ut venditor obligetur ad tradendam rem ejusque aut trāſferendum dominium aut præſtandam evictionem, emptor contra ad dandum venditori precium in pecunia numerata.(d). Definitio Emptionis venditionis.

(a) *Primus contractus qui conſenſu perficitur eſt emptio & venditio, quibus verbis veteres promiſcuè uſi ſunt* l. veteres ff. de act. empt. l. qui fundum 7. §. qui bona ff. pro empt. & l. ſi emtione 34. ff. de contr. empt. *ubi Julianus & Paulus JCti voculam vendere pro emere poſuiſſe videntur, ſicuti etiam è contrario Imperatores videntur poſuiſſe vocem emere pro vendere* in l. unic. C. ſi ſerv. ext. em. mand. *ſicuti etiam ipſa actionum empti & venditi nomina ſæpe inter ſe confunduntur* l. ſed hoc nomine 26. ff. de evict. l. Julianus 13. §. ſi procurator in f. ff de empt. l. ex convent. C. de pact. *ſicuti etiam ſtipulatorem dicunt JCti pro eo qui promittit* l. ſi non ſortem ff. de cond. indeb. *frequentius tamen & propriè qui precium dat emere & ex vendito agere dicitur*, leg. ex empto ff. de act. empt. & l. Julianus eod. *Originem autem hujus contractus pulchrè declarat JCtus* in l. 1. ff. de contr. empt. *Hic non immeritò quæritur; Utrum emptio dicatur ab* ἐμὸν Affirm. arg. l. pen. §. ult. ff. de contr. empt. *Quædam etiam græca vocabula hoc evincunt, puta*, ἐμπορία, ἐμπόριον, *&c. Illud dubium etiam eſt, num nomine venditionis omnis alienatio contineatur? Nos negamus ex vi nominis* per l. 1. ff. de contr. empt l. ult. C. de pact. int. empt. & vend. ubi vox venditionis alienationi opponitur l. ſi pupillorum 7. §. ſi pater ff. de reb. eor. qui ſub tut. *Diſſentiunt quidam* per l. 29. ff. de ſtatu lib. & l. 8. §. 11. ff. Quib. mod. pign. ſolv. *Ad quos textus reſpondet Vult.* ad pr. Inſt. h. t. *Bronch.* cent. 2. aſſ. 62. *Hæn.* contr. 1. diſp. 15. *Weſ.* in par. de contr. empt. (b) *JCti quidem non habent in corpore juris emptionis & venditionis definitionem ſed hanc poſitam à nobis ex tota doctrina de emptione & venditione ex-*

truit Weſenb. in par.ff de contr.empt.n.2 *Dicitur autem ibi emtio venditio contractus juris gentium, quia à jure gentium eſt introductus* §.2.in f.Inſt.de I.N.G.& C.l.1 in f.ff.de cont.empt. l. JuriſG 7.ff.de pact.l. ex hoc jure 5.ff.de I.& I. *licet ſua formalia à jure civili habeat* l.2.ff.de contr. empt.l.1.ff.de pact. *Non movet, quod pecunia ſit de ſubſtantia emptionis* §.ſed & 1.Inſt.h.t. *Pecunia v. prima hominum ætate incognita fuerit*, Plin.lib.33.c.2.& 3. *Hanc objectionem diluit Foman.* diſp.22.(c) *Dicitur nominatus contractus, quia ſpeciale & elegans nomen habet* l. JurisG.7.ff. de pact.l. 3.5.6.7 ff.de contr.empt.(d) *Reliqua definitionis verba quod attinet, illa partim differentiam emptionis & venditionis ejusq; requiſita (ibi; in quo per conſenſum res habilis ad transferendum precio in numerata pecunia conſiſtente commutatur,) partim hujus contractus effectum (ibi; ut tradat rem, aut præſtet evictionem venditor) oſtendunt, quæ omnia infra fuſius deducentur.*

IV.

Subſtantialia requiſita emptionis venditionis (a) hęc ſunt, 1. conſenſus, (b) 2. merx ſeu res ad vendendũ habilis, (c) 3. precium in numerata pecunia conſiſtens. (d)

(a *Hæc ſunt requiſita, ex quibus emptionis ſubſtantia conſiſtit, ſine quibus non magis eſſe poteſt, quam homo ſine anima vel corpore* l.in venditione ff.de contr.empt. l.pacta ff. eod. §. precium cum §.ſeq.Inſt.h.t. *adeo enim hæc tria ſunt neceſſaria, ut ſi vel unum ex ijs omittatur, contractus perfectus non ſit & emptio nulla, quæ ipſi etiam ob id naturalia dicuntur.* (b) *Quemadmodum in cæteris contractibus omnibus conſenſus requiritur, ſic & in hoc contractu emptionis venditionis utriusq; & ementis & vendentis conſenſus deſideratur: Imò quod magis, non neceſſe eſt, ut ſtatim merx & precium tradatur, ſed ſolo conſenſu in rem vendendam preciumq; pro ea oblatum hic contractus perficitur* le.in venditionibus ff.de contr. empt. & vend. leg. 2. C. eod. *Conſenſus*

ſenſus itaq; eſt tale requiſitum, ſine quo emptio venditio non ſubſiſtere poteſt, conſenſus etiam, niſi liber ſit nihil agit, ſicut reſcripſerunt Imperatores, l. invitum 10. C. de contr empt. l. nec emere 6. C. de jur. delib. *Hoc quidem regulariter verum, ſuas tamen admittit exceptiones,* de quibus Mynſ. in obſ. 27. cent. 5. *Illud dubium num diſſenſus in materia vitiet emtionem? Nos affirmamus* per l. in vendit. 9. in pr. ff. de contr. empt. *hoc facit etiam diſſenſus in corpore* per d. l. 9. *item hoc facit error circa precium* per d. leg. 9. & LL. ſeqq. ff. de contr. empt, l. 21. §. 2. ff. de act. empt. l. 15. ff. de jurisd. *ſecus ſi in nomine tantum* per d. l. 9. §. 1. *vel in qualitate* l. alioquin 11. §. 1. ff. eod. *vel in acceſſorijs erratum ſit* l. ſi in 34. in pr. ff. eod. *Nō pugnant ergo inter ſe* l. quid tamen 14. & l. cum ab eo 41. in f. ff. eod. *Harum enim legum conciliationem vide apud Fomannum* diſ. 22. th. 7. lit. c. *Bronch.* cent. 2. aſſ. 53. *Hujus primi requiſiti conſectaria ſunt, 1. quod nemo invitus cogi poſſit rem ſuam vendere, ne quidem à Principe* per l. nec quaſi 70. ff. de R. V. l. 11. ff. de R. J. l. dudum 14. C. de contr. emt. l. nemo C. de judæ. l. non enim ff. rer amo. *Hujus conſectarij fallentias vide apud Schneid.* in §. fin. Inſt: de empt. & vend. n. 7. cum ſeqq. 2. *Quod invitus quis non cogi poſſit ad emendum* l. nec emere C. de jur. deliberand. *Fallentias vide apud eundem Schneid.* all. l. *Hic oritur quæſtio, utrum quis cogere poſſit venditorem, ut minus juſto precio rem ſuam vendat? Affirmant quidam* per l. 2. §. 2. verſ. quæſita ff. ad l. Rhod. *Sed male; Cum ne Princeps quidem ex cauſa publicæ utilitatis alicui rem ſuam auferre poſſit quovis modo, niſi juſtum precium refundat* l. 13. §. 1. verſ. nec publico, junct. verſ. niſi prius ff. comm. præd. Bronch. cent. 2. aſſ. 63. *Juſtum autem precium eſt, quo æſtimatur ſecundum fertilitatem & ſterilitatem temporum & qualitatem rerum* l. precia rerum §. fin. ff. ad l. Falc. c. poſt natalem de pac. ten. in uſib. feud. (b) *Præter hunc conſenſum autem requitur, ut interveniat merx emenda, & talis quæ dominio noſtro poteſt ſubijci: Nam ſi ejus-*

modi

modi eſt, ut à nobis acquiri non poſſit, tunc nec emere eandem poſſumus cujusmodi ſunt res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, publicæ, liberi homines §. loca ſacra in f. Inſt. h. t. l. ſi in emtione 34. §. liberum hominem ff. de contr. emt. *Semetipſum tamen de jure civili liber homo vendere poteſt* §. pen. Inſt. de jur. perſ. *non etiam de jure Saxon.* art. 2. Weichbild Reinhard. lib. 2. p. 6. diff. 48. *ut & ſi vendere eandem prohibemur, contractus emptionis & venditionis celebrari haud poterit, cujus generis ſunt, purpura & ſericum de jure antiquo, cujus commercium hominibus privatis interdictum eſt,* l. 1. C. quæ res vend. non poſſ. *arma, vinum, oleum, aliudve liquamen uſus cauſa paratum, quæ omnia barbaris, h. e. non civibus Romanis Imperij vendere prohibemur* l. 1. & 2. C. quæ res export. non deb. *item, enuchi, ſpadones, quorum non ſolum commercium, ſed etiam effectio interdicta Nov. 142. Item, furtivæ vel vi ſcienter poſſeſſæ* §. 2. Inſt. de uſuc. *Hoc tamen fallit de jure Saxonico in judæis* Landr. lib. 3. art. 7. & gl. ibi Reinhard. lib. 2. p. 1. diff. 14. *Ut & res dotales & donatæ propter nuptias* §. 1. Inſt. quib. al. lic. *res conſiticiæ ac Emphyteuticariæ* l. fin. C. de l. Emphyt. *Ut & ſimiliter res feudales,* c. 1. de prohib. feud. alien. *In his quidem invitis & inſcientibus agnatis ac domino feudi, in illis irrequiſito domino Emphyteuſis: De qua habilitate & inhabilitate rerum, vide* l. 4. 5. 62. 70. ff. de contr. empt. l. 3. cum l. ult. ff. quibus ad libert. *Ad hunc modum prohibet conſtitutio Saxonica ab Electore Erneſto promulgata, à Mauritio & Auguſto denuò confirmata, à Chriſtianis defenſa, à Johanne Georgio moderno Electore Saxonico repetita conſtitutio provincialis pagis cereviſiam, à remotioribus civitatibus emere eosq́; ad intra milliare proximum adjacentem civitatem in emenda cereviſia aſtringit* Landesordnung ſub tit. von brawen vnd ſchencken/vnd andern Bürgerlichen Handthierung auffm Lande/newe Policey Ordnung/in part. von den Juſtitien Sachen/ſub tit. brawen vnd ſchencken/ſo wol andere Handthierung

thierung vff den Dörffern/wie es damit zu halten. *Illud dubium hic oritur, num emptio rei ſacræ aut publicæ valeat, ſi inter ignorantes contracta ſit? Affirmamus* per l.& liberi cum l. ſeqq. l. liberi hominis ff. de contra. empt. *non quidem ad hoc, ut emptor conſequatur rem venditam, ſed quo ad obligationem ejus, quod intereſt*, gl.in d l.liberi. *Item quoq. ſtatuendum, ſi emptor tantum ignoret, tunc ipſi dabitur actio adverſus venditorem ad conſequẽdum, quatenus ſua intereſt, ab illo ſe non eſſe deceptum*, per d. l. liberi, l.officij & l.62.§.1.ff.eod. *ſecus ſi ſciens emit*, alleg tt. *Damnum enim quod quis ſua culpa ſentit, ſibi & non alijs imputare debet* c.damnum de R.J.in 6. *Non pugnat hæc noſtra aſſertio* cum l.in medicis 24.ff.h.t. *qua probatur, rem ſacram vendi poſſe: Reſponſionem vide apud Fom.* diſp.22.th.8.lit.b. *Si locus religioſus pro puro venditus fuerit ignoranti, quæritur quæ actio detur emptori adverſus creditorem? Reſp. Dari actionem in factum* per l.8.§.1.ff.de relig. *Illud etiam ambiguum eſt, num emptio annuorum redituum ſeu cenſuum ſit licita? Affirmamus* per Nov. 160.in pr.c.1.Conſt.Carol.de anno 30. & 48. item per textum in l. jubemus 14.§.ſanè C.de de ſacr.Eccl.c.1. & 2. in extrav. comm. de empt.& vend.l.ſi ea lege C.de uſur. Hæc affirmativa ſententia eſt etiam Imperij receſſibus approbata Anno 1548.& 1550.ſub tit. von wucherlichen Contracten/Gail.2.obſ.7.& 8. Mynſ. cent. 1. obſ. 1.obſ.79.Vaſq.2.controv.c.84.31.Dominus Hackel.in illuſtr. quæſt. diſp.11.th.3.lit.i.Diſſentit Fachin.lib.2.contr.c.34. *Illud hic notandum in emptione* der Stamgüter *tam eorum, quæ ab avis quam quæ à parentibus provenerunt, de jure Saxonico, non modo poſitivo* argu. art.9.lib. 1. Landr.& per conſtitutionem Electoralem 36. p.2. *Sed & conſuetudinario* Reinhard.lib.2.par.1.diff.1.& 10. *liberi extraneis præferuntur* haben den vorkauff. *Non tamen præciſè talis rerum ſeu mercium interventus deſideratur, qui ſtatim rem in vendentem transferat, ſiquidem venditor non ſolum rem, ſed*

& rei evictionem præſtando liberatur leg. ſi ita 52.§.fin.l.66.ff.de contr.empt.*ſed ſufficit venditor tradendæ,emptor acquirendæ rei animum habeat* l.cum manu §.fin.ff.eod.(d)*Similis etiam eſt ratio tertij requiſiti: Nam in emptione venditione precium quoddam requiritur,*arg.pr.& §.cum autem Inſt.de empt.& vendit.l.2. l.cum in venditione 36.l.nuda 55.ff.de contrah.empt.l.ſi non donationis 8.&l. ſeq. C.eod.l.contractus 54.ff.de O.& A. le.imaginaria 16.ff.de R.I. *Hic rectè quæritur,Num emptio venditio uno nummo fieri poſſit? Negamus,quia nummus precium non eſt, ſed ei opponi ſolet,*ut conſtat ex l.ſi quis ante 10.§.fin. ff.de acquir.vel am. poſs.l.ſi quis 46.ff.loc. *Interventus tamen precij non in eo conſiſtit,ut precium tradatur (ſiquidem etiam non tradito precio, emptio venditio perfectè contracta cenſetur,modo emptor & venditor in rem & in precium conſentiant* all.tt.& l.9.C.de contr.emt. *ſed in his tribus conſiſtit. 1. Ut precium certum & determinatum ſit* §.ſed & certum Inſt.de empt.& vend.*unde ſi ita conventum inter emptorem & venditorem,quanti ille vel ille æſtimabit; tantum precium dandum eſſe tum ſiquidem is in cujus arbitrum eſt collatum precium definierit contractus validus,ſin verò non definierit contractus erit nullus,* § all.ſed & certum l.ult.C. de contr. empt.l.quod ſæpè 35.§.1.ff.de contr.empt. *Quid autem ſi fiat emptio & venditio,quanti periti æſtimatores æſtimabunt. Nos ſtatuimus,quod valeat,*per ea quæ adducit Hæn.diſ.16.quæſt.9. *Illud adhuc ambiguum eſt,num valeat venditio,ſi ita fuerit precium definitum,pro precio quod in arca habeo? Similiter affirmamus* per l.hæc venditio 7.§.1.ff. de contr.emt.item,arg.l.ſi quis 37.ff.eod. *quia certum precium eſt,quod aliqua relatione vel demonſtratione certum fieri poteſt:* Diſſ.gl.ad l.hæc venditio §.1. ff. de contr. empt.per l.fin.ff.de condi.cauſ.dat. *2. Ut precium conſiſtat in pecunia numerata* §.item precium Inſt.de empt. & vend. l.1.ff.de contr.empt.*& non ſolum in pecunia numerata,ſed etiam in proba &*

ba & legitima l.eleganter §.qui reprobos ff.de pign.act. *Nam licet Sabinus & Caſſius JCti exiſtiment, in alijs quoq; rebus, & ita ut res pro re reddatur emptionem venditionem fieri poſſe, cumq́; emendi & vendendi modum antiquiſſimum eſſe ex Homero probent* all.§.item precium & l 1.§.1.ff.de contr.empt. *Tamen Nervæ & Proculi JCtorum opinio obtinuit, qui exiſtimant, tum quando non pecunia pro re, ſed res pro re datur, non contrahi emptionem & venditionem, ſed diverſum contractum, qui non malè permutatio dici poteſt,* alleg §.item precium l.1.§.1.ff.de contr.empt.l. 5.§. etſi ff.de præſcr.verb. *Sufficit, ſi ab initio ipſius conventionis in numerata pecunia precium conſiſtat, licet poſtea ex intervallo loco pecuniæ conventæ etiam alia res detur pro alia* l.precij cauſa C.de reſc.vend. *Hic quæri ſolet, utrum dari poſſit perpetua inter permutationem & emptionem differentia? Affirmamus* per §. item precium Inſt de empt.& vend.l.1.ff.de permut.rer.l.1.§.1.ff.de præſcr. verb. Forſt. in diſp. 18. th. 4. Diſſent. Alciat.in l.2.ff.de V. O. *Illud ambiguum eſt, quid de tali caſu ſtatuendum an ſit permutatio vel emptio; poné, ego tibi dedi domum meam, tu dediſti mihi domum tuam, & etiam 100. florenos? Reſp. Quod tunc debeat inſpici, quid inter partes principaliter ſit actum; ſin verò non conſtat aperte, quid principaliter actum ſit, tunc debet inſpici, quid plus valeat, an pecunia vel res,* arg.l.quæritur ff.de ſtat.hom. *Quãdo vero non poteſt cognoſci, an res prævaleat precio, tunc in dubio intelligitur contractus innominatus* per text.in l.1.ff.de æſtim.act. l.1.ff.de rer.permut l.inſulam ff.de præſcr.verb.l. fin. ff.de condict. ob cauſ.c.conſtitutus de relig.dom.c.ad qu.de rer.permut Schneid. ad §.item precium Inſt.de empt.& ven. *3. Ut emptor & venditor in precium conſentiant,* arg.verb.convenerit in pr.& §.cum autem & arg.§.ſed & certum Inſt.de empt.& vendit. *tunc etiam dicitur perfectus contractus: traditio enim rei & ſolutio precij ſi accedant, dicitur contractum eſſe conſummatum: in his enim im-*

plementũ & executio cõtractꝰ eſt; atq; de cõtractu hoc cõſummato intelligendꝰ eſt §. ſi quis à ō domino Inſt. de R. D. & pr. I. de uſuc. l. bonæ fidei 48. ff. de acq. rer. dom. *Ultimò dubium eſt, ſi duo à diverſis non dominis eandem rem emerint, uter eorum alteri ſit præferrendus? Reſp. eum eſſe potiorem, qui poſſidet* l. ſive 9. §. ſi duobus ff. de publ. in rem act. *Præter hac autem requiſita de jure Saxenico præterea neceſſe eſt non ſolum in venditione bonorum feudalium & emphydenticorum,* Lehengütern/ *ſed & in cenſualium,* Erbgüter/ *ut venditor coram ſuperiore dominium relinquat,* Das er jhm die Lehen aufflaſſe/ *& emptor laudemium,* Das Lehengeld *exſolvat* Coler. de proceſſ. exec. p. 1. c. 10. n. 162. & ſeq. ubi ſimul explicat quæ ſit quantitas hujus laudemij, de quo etiam vide Coler. lib. 4. ſemeſt. c. 3. 4. & 5.

V.

Emptio venditio fieri poteſt vel purè, vel conditionaliter, (a) inter præſentes, vel abſentes, (b) aut ſine ſcripto, quando contrahentes volunt, ſine ſcripto obligationem firmam eſſe debere, aut inſcriptis, quando contrahentes ſe aliter quam ſcriptura interveniente obligatos volunt (c) priori caſu nec re tradita, nec precio ſoluto, nec arrhis datis ſtatim atque de re ac precio conventum fuerit, emptio venditio ſuum robur firmiſſimum accipit: (d) Poſteriori caſu nón niſi inſtrumento ſuper contractu celebrato debitis ac legitimis modis erecto contractus perfectus & conſummatus cenſetur. (d)

(a) *Qualiter contractus emptionis & venditionis celebrari poſſit, explicatur* §. emptio tam ſub conditione Inſt. h. t. l. 20. ff. loc. l. hæc 7. in pr. ff. de contr. empt. l. 80. §. ſylvæ ff. de contr. empt. t. t. de l. commiſſ. t. t. de in diem addict. *ubi dicitur emptionem venditionem, aut purè aut condititionaliter fieri poſſe, cujus conſectarium,*

rium pendente conditione, nec ementem nec vendentem obligari, & ante adjectæ conditionis eventum, nec ementem nec vendentem precium petere poſſe: Purè autem emptio venditio contrahitur, quando neq; dies, neq; conditio adjicitur, ſed ſimpliciter fit: Sub conditione verò, cum in aliquem caſum vel quandam conditionem differtur emptio §. omnis cum §. ſeq. Inſt. de V. O. ante cujus eventum emptio perfecta non eſt; interim tamen utroq; caſu perfecta eſt, ſimulatq; convenit, ita tamen, ut ex illa pura ſtatim agi poſſit, ex hac non niſi conditione exiſtente, quæ tamen retrahitur ad tempus & principium contractus initi, quod ſpectandum eſt l. ſi procuratorem 8. ff. mand. Inde etiam ſi res vendita intra id tempus interit, perimitur emptio l. neceſſario §. quod ſi pendente ff. de per. & comm. rei vend. (b) Hoc omnibus contractibus qui conſenſu perficiuntur, eſt commune, ut non inter præſentes tantum, ſed etiam abſentes per epiſtolam vel nuncium, ad hoc peculiariter deſtinatum fieri poſſint l. conſenſus 2. ff. de O. & A. l. 1. in f. ff. de contr. empt. (c) Modos autem & rationes contrahendæ emptionis & venditionis quod attinet, emptio fieri poteſt vel in ſcriptis vel ſine ſcriptis argum. pr. Inſt. h. t. l. 1. ff. de per. & comm. rei ven. l. contractus C. de fid. inſtrum. non tamen ſimpliciter omnem emptionem & venditionem, ſed eam ſolummodo, quã ex voluntate contrahentium aliter quam ſcriptura interveniente ſe obligari nolentium in ipſa conventione in ſcriptis celebrant, non eam ſimiliter, quam antea perfectam & abſolutam, demum poſt conventionem celebratam, contractumq; firmiter concluſum, veritatis & facilioris probationis cauſa, poſteà in inſtrumentum redigi curant contrahentes, de quo modo eſt l. contrahitur ff. de pign. Emptionem & venditionem in ſcriptis dici eleganter demonſtrat Schneid. ad all. pr. Hinc ergo manifeſtum, quid emptio venditio ſine ſcriptis, quid etiam emptio & venditio in ſcriptis, videlicet, quod hoc ex voluntate & mente contrahentium dijudi-

candum ſit, eamq́ emptionem in ſcriptis dici, quam ſe non niſi ſcriptura interveniente obligare debere contrahentes volunt, eam verò quam etiam ſine literis firmum obligandi robur habere volunt contrahentes emptionem ſine ſcriptis appellari. Unde ſimul apparet, ſcripturam ſolummodo accidentale emptionis & venditionis non ſubſtantiale quid eſſe. ſecus verò eſt in literarum obligatione, cum in ea ſcriptura ſubſtantiale quid ſit, ideo propter intervenientem ſcripturam hi contractus confundi non debent. (d) *His præmiſſis jam requiſita & operationem utriusq́ emptionis & venditionis aperiemus: Sine ſcriptis igitur ſufficit nudus & purus conſenſus in rem emendam vendendam, & precium pro ea oblatum, nec requiritur, vel ut precium ſtatim perſolvatur vel res tradatur, vel etiam ad minimum arrha utrinq́ dentur ad confirmandum contractum,* arg. pr. inſt. h. t. l. 9. C. de contr. empt. §. cum autem Inſt. d. l. §. venditæ Inſt. de R. D. (d) *In emptione venditione verò quæ in ſcriptis celebratur præter hunc conſenſum requiritur. ut inſtrumentum ſuper emptione erectum debito modo, & in jure præſcriptis rationibus erigatur, & his obſervatis tunc demum contractus perfectus & conſummatus eſſe cenſetur* all. pr. & §. cum autem Inſt. de empt. & vend. & l. 17. C. de ſid. inſtr. *& ante illam abſolutionem ſcripturæ uterq́ contrahentium pœnitere poteſt. Hæc autem inſtrumenta debent conſcribi vel ab ipſis contrahentibus, vel ſi ab alijs ſcribuntur à contrahentibus ſubſcribi, quia paria ſunt vel manu propria ſcribere, vel ſe ſcripturæ manu alterius ſcriptæ ſubſcribere: Subſcribens enim exiſtimatur contenta in inſtrumento approbare, ideò ſibi præjudicat, ac ſi totum ſcripſiſſet,* l. ſicut §. non videtur ff. quib. mod. pign. vel. hyp. ſol. & l. 1. verb. ſubſcriptionem ff. de conſt. Princ. *Quod tamen intelligendum, ſi ſubſcribat ſe ut principalis, ſecus ſi ut teſtis, deinde quando ſubſcribens legit & intellexit contenta in ſcriptura, cui ſubſcribit, alias ſibi non præjudicat* l. fin. C. plus valere quod agitur, &c. *ita tamen ejusmodi inſtrumenta concipi*

debent,

debent, ut omnes ſolennitates, quæ in inſtrumentis à Notario confectis requiruntur, ponantur all. pr. & l. 6. in f. ff. de contr. empt. *Quod ſi ergò in emptione venditione hæ requiſitæ ſolennitates inter venerint, tunc contractus perfectus & conſummatus eſſe dicitur: Licet autem nec in ſcripta nec in non ſcripta emptione venditione arrhæ, h.e. idipſum quod ſtatim in ipſo contractu dari ſolet ſint de ſubſtantia contractus, in utraq; tamen ſpecie tanquam confirmatio & probatio dari poſſunt* all. pr. & l. 35. ff. de contr. empt.

VI.

De Accidentibus Emptionum Venditionum.

Accidentia emptioni & venditioni propria tria numero habemus, puta addictionem in diem, legem commiſſoriam, & pactum retrovendendo.

Naturam horum accidentium in ſubſequentibus poſitionibus declarabimus.

VII.

De Addictione di[illegible]

Addictio in diem eſt cum adjectione certæ diei & pacti, ſi interea temporis donec conſtituta dies veniat, nullus erit, (a) qui melioribus conditionibus (b) rem emere vellet, emptio venditio celebratur. (c)

(a) *Addicere apud Feſtum eſt idem dicere: Hoc verbum poſtea translatum eſt ad auctiones publicas, & conſtitutum, ut in venditionibus ſub haſta factis pluribus licitatoribus exiſtentibus certa dies diceretur, eiq; qui meliorem venditionis conditionem feciſſet, hoc eſt, qui plus licitatus eſſet, res addiceretur* l. 1. & t. t. C. de fid. & jur. haſt. fiſc. lib. 10. (b) *Hoc deinde ad privatas quoq; emptiones & venditiones translatum eſt, licetq; igitur de hodierno jure ſub hoc pacto, niſi intra Calendas (v.c.) ſeptembris proximas alius quiſpiam meliorem venditionis conditionem fecerit, emptionis, venditionis contractum conſtituere* l. 1. & t. t. ff. de in diem addict. *Addictio enim in diem vel ſit purè, puta hoc modo, fundus iſte centum eſto tibi emptus, ſed ita, ut meliore allata conditione, al*

ne,ab emptione diſcedatur,vel conditionaliter : quæ ita ſit ; Hæc emptio ſit contracta,ſi non melior conditio adſeratur intra Kalendas Januarias proximas l.2.ff.de in diem addict. *& de hac additione nos loquimur.* (c) *Melior autem conditio emptionis venditionis dum fieri videtur,ſi vel precio ſit additum, vel ſolutio facilior aut maturior,vel quid utilius venditori offeratur* l.4.§.fin. cum LL.ſeqq.ff.de in diem addict. *Hoc tamen ſi ſit à poſteriore emtore,ſi ipſe prior tantundem offerat,is poſteriori præferendus erit: In quem finem omninò requiritur,ut venditor auctiones venditionis factas à poſteriore priori ſignificet* l.item §.fin.cum duab. LL.ſeq.ff.de in diem addict. *Neceſſe tamen eſt, ut hæc pluris licitatio ſeu auctio v.non ſimulato contractu,& per ſubjectionem emptoris fiat* l.4.§.cum igr ff.all.t.l.1.l.4.§.ſi res l.licet l.neceſſe l.ſi uno ff.de in diem addict,Dom.Hack.in illuſt.quæſt.diſp.11.th.6.lit.a.

VIII.

Effectus hujus pacti adjecti eſt,ut ei,qui pluris offert intra conſtitutum terminum res addicatur.

Allegatis textibus.

IX.

Notandum tamen,hanc tali pacto factam venditionem non conditionalem ſed puram eſſe in ſe & ſua natura (a) & ſtatim atque facta eſt,perfectam emptionem inferre, ac dominium rei emptæ ad emptorem transferre, (b) tam diu donec exiſtat aliquis , qui meliori conditione factam venditionem augeat.(c)

(a) *Adjicimus in noſtra poſitione verba,in ſua natura ,propterea,quod & ejusmodi pactum (ut cæterorum contractuum acceſſoriæ pactiones omnes) ſub conditione fieri poſſit,*ut in ſuperioribus deductum eſt. (b) *Hic quæſtio oritur,Num hoc pacto purè facto transferatur dominium absq; nova traditione? Nos cum*

Mynſ.

Mynſ. cent.6.obſ.69. n.3. *Weſ.* in par.de in diem add ct.n.3. *Fach.* lib.2 contr.c.15. *affirmamus* per l.ſi hominem ff. de uſucap.l. ſi quis hac ff.de R.V. §.interdum Inſt. de R.D. l ſi ex duob. 4.§.ſed & Marcellus ff.de in diem addict.l.voluntate §.creditor ff.quib.mod.pign. vel hyp.ſolv.l.ult.ff.de l.commiſſ l.ſi cum vendere ff de pign. act. l. commiſſoriæ C de pact.inter empto.& vendit. Diſſentiunt Dd. per l.ſi quis hac ff.de R.V.& l.2.C.de pact.int.empt & vend. (c) *Hæc tota aſſertio eſt fundata* in l.1.2.3.ff.hoc t.

X.

Eſt enim hæc emptio tam diu pura, donec non plus offeratur: quamprimum verò plus offertur, ipſa prior facta venditio non ſolum reſcinditur, ſed & fictione juris conditionaliter facta exiſtimatur.

Niſi enim hæc fictio interveniret tanquam ex vero & impleto coutractu non poſſent repeti fructus ab emptore poſteriore: Quod v.oblatione majore facta prior venditio reſcindatur oſtendit l.ab emptione l.jurisgentium ff.de pact.

XI.

Cujus rei conſectarium, quod ex contractu ita conſtituto emptor rei venditæ, venditor pecuniæ oblatæ, fructus ſtatim poſt factum contractum interea percipiat; reſciſſo verò contractu venditor fructus pecuniæ & pecuniam ipſam numeratam emptori, emptor verò fructus rei venditæ venditori reſtituere tenetur.

De reſtitutione fructuum & rei venditæ habemus expreſſos textus in l. 6. l. Imperator 16. ff. h. t.colligitur etiam ex l. Julianus 13.§ veniunt 20.& l.ſi 51.ff.de actio empti. *Item ad pecuniam ex æquitatis ratione traducit gloſſa* in d l.6.

XII.

Alterum accidens hujus contractus eſt adjectio pacti legis commiſſoriæ (a) quo emptiones venditiones i-

 ta re-

ta reſtringi ſolent,ut in certo ad id conſtituto die etiam non interpellante venditore ſolutio fiat, ſi non quod tunc res in emta ſit,&ad venditorem redeat (b) ſimulq́; ſiquidem arrhæ datæ ſunt,ac aliud non actum ſit, arrhæ amittantur ita tamen ut pro arrhis emptor fructus perceptos ſuos facit, ſin verò arrhæ non datæ ſint, fructus percepti etiam venditori reſtituantur.(c)

(a) *Pactum commiſſorium hoc accidens dicitur* in l.legem C. de pact. Weſ. & Cujac. in par. ff. de contr. empt. *Hoc pactum etiam vocatur lex,nam pacta ſunt leges contractuum* l.1.§. ſi conveniat ff. depoſ.l. contractus de R. I. l. 7. ff. de pact. *Dicitur commiſſoria, quia niſi ſolutio ad diem fiat propter moram commiſſam res habetur pro inempta. Hoc pactum enim, quoniam neq; emptorem damno afficit, neq; lucro venditorem, ſed omnia in priſtino ſtatu manent, permiſſum eſt jure* l. ſi fundus §. ult.ff.de pignor.l. Æmilius ff.de minor.l.1.& 3.C.de pact. conv. int. empt. & vend.l.1.C.de pact.pignor.t.t.ff.de l.commiſſ.(b) l. 2. h. t. Paul.lib. 2.tit.23.Weſ.in par.ff.h.t.(c)*Hæc poſitio totam legis commiſſoriæ naturam exprimit,idq́; duobus caſibus: emptor aut dedit quid arrhæ loco, præcijq́; partem numeravit, aut non dedit arrhas,præcijq́; partem non numeravit: Priori caſu venditori res vendita reſtituenda,precium vel arrhæ penes ipſum manent* l.ſed etſi 25.in pr.ff.de pet.hær.*(niſi aliud de arrhis inter eos actum* l.lege 5.ff.h.t. *idq́; in pœnam moræ,fructibus perceptis penes emptorem remanentibus* l.4.§.1.ff.h.t.*niſi de his quoq; aliud actum, ubi notandum,quod quoties actum, ut non reſerventur, arrhæ ab emptore à venditore fructus quoq; reſervari nequeant,* per ea, quæ adducit Baldus in l.ſi fundus 4,ff.h.t.(d) *Poſteriori caſu fructus percepti ſimul cum re vendita reſtituendi ſunt venditori,* per ea quæ adducit Bald.all.loc.*Et hoc in tantum procedit, ut nec interpellatione venditoris die conſtitutio opus ſit,* l.4.§.fin ff.h.t.

Cujus

Cujus rei ratio, quod dies interpellat pro homine l. magnam C. de contr ſtip. *Notandum tamen hoc pactum legis commiſſoriæ in favorem venditoris inventum eſſe, ejusq; cauſa adijci ſolere* l. 2. & 3. h. t. *Proinde non impleta pactione, numerationeq; non facta conſtitutio die, liberum eſſe venditori, an pacto, adjecto uti an verò precium, recipere malit* d. l. 4. §. eleganter, *cum quilibet favori ſuo pro ſe introducto renunciare poſſit* l. pen. ff. de pact. *electo verò horum alterultrò, non poſſe tranſire ad aliud medium neglectum, viam enim quam ſemel elegiſti, ambules practicorum regula eſt,* d. §. elegánter & l. pen. ff. h. t. *Illud dubium an tale pactum adjectum, emptionem venditionem conditionalem faciat? nos cum Weſenb. ſtatuimus, ejusmodi emptionem venditionem magis ſub conditioné reſolvi, quam contrahi* per l. 1. ff. de l. commiſſ. *Hac de l. commiſſoria, quæ quidem olim etiam in pignoribus locum habebat, eo modo, ut ſi ad ſtatutum diem pecunia credita non ſolveretur, pignus creditori eſſet jure dominij: Verum poſterioribus temporibus, quia inhumaniter gravat debitorem, qui egens pecunia adjeciſſet etiam duriora, merito in ijs reprobata ac reſciſſa eſt* per t. t C, de pact. pign. & l. commiſſ. *Primum quidem conſtitutione Conſtántini* l. fin. C. de pact. pign. *prohibitum putamus* cum Dn. Hackelm. illuſtr. quæſt. diſp. 11. th. 7. lit. e. *Diſſentiunt Dd. communiter* per l. quamvis ff. de ſolut. l. Titius 34. ff. de pign. act. l. fin. ff. de contr. empt. l. 16. §. fin. ff. de pignor. l. cum dominium Cod. de pignor.

XIII.

Tertium accidens contractus emptionis & venditionis eſt pactum de retrovendẽdo generaliter factum; quod eſt conceſſio redemptionis alicujus rei quandocunque libuerit faciendæ.

L. 1. C. de pact. int. empt. *Illud dubium hic ſtatim oritur, utrũ hoc pactum ſit reale, vel perſonale? Nos ſtatuimus, quod ſit perſonale?*

ſonale? Nos ſtatuimus, quod ſit perſonale, & rem ipſam non afficiat per d. l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. l. ſi prædium C. de ædil. edict. l. 16. ff. de in diem addict. l. 4. ff. de l. commiſſ. l. rebus C. de rer. permut. l. 7. §. 5. ff. de pact. Gail. 2. obſ. 16. *Quam opinionem Jus Saxonicum quoq; defendit Conſt. El. 32. p. 2. Illud etiam ambiguum; an hoc pactum ſit perpetuum? Affirmamus* per l. viam publicam ff. de via publ. l. pure §. fin. ff. de exc. dol. l. nec creditores C. de pign. act. l. 3. §. ſi quid ff. de ædil. edict. l. ſi ita ſtipulatus ff. de fid. inſtr. l. hæc conditio ff. de cond. & demo. Gail. 2. obs. 18. Mynſ. cent. 1. obſ. 16. & obſ. 70. cent. 6. Conſentit nobiſcum etiam Conſt. El. Sax. pa. 2. quæ incipit, Ob Unterpfand vñ Widerkauff / Diſſent. Dd. per l. cum notiſſimi §. eodem jure & ibi gl. verſ. opponere C. de præſcr. 30. ann. Item Weſ. in par. de reſc. vend. n. 6. *Eſt etiam in heredes tranſitorium* l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. l. cum principali de R. I.

XIV.

Tradito modo perfectæ & conſumatæ emptionis venditionis effectus hi ſunt: 1. Quod pœnitentiæ non ſit locus. (a) 2. Quod periculum & commodum rei venditæ ſtatim ad emptorem tranſeat, nec vendititor amplius quam dolum, culpam, & ſi quid forſàn aliud in ſe recepit, præſtare teneatur (b) Quod ſi ante traditionem forte res mutetur, vel in alium ſtatum ducatur, ut venditor emptori actiones, quibus rem ad priſtinum ſtatum reducere poſſet cedere teneatur. (c) 4. Ut venditor emptori vel rem tradere, vel evictionem præſtare teneatur. (d) 5. Quod venditor emptori precium ſolvere ſit obligatus. (e)

Primum emptionis ac venditionis effectum paucis jam delineabimus: Re enim adhuc integrâ, contractuq; nondum perfecto ac conſumato, pœnitentiæ locus eſt, poteſtq; tàm emptor quàm venditor à contractu recedere all. pr. *& quidem ſi nihil arrharum nomi-*

nomine datum, tunc omnino impunè recedere poſſum d.loc.& l.6. ff.de contr.empt.ac l.17.ff.eod. *ſin v.arrhæ datæ ſunt, tunc licet de arrharum amiſſione nihil ſit in contractu expreſſum, emptor pænitens arrhas venditori datas amittit, venditor verò pænitens arrhas duplicatas emptori reſtituere tenetur* all.pr.& all.l.17. *niſi ultra dimidium juſti precij ſit læſus, tunc diſſolvitur contractus ex beneficio l.2.C.de reſc.vend.*l. ſi voluntate 8. C.eod.c.cum dilecti extra de emt.& vend.c.cum cōmunia eod. *Quid ergò, ſi venditor contractum juramento firmaverit, num tunc etiam immodicè læſus venditionem reſcindere poſſit? Aff. Mynſ.* cent.5.obſ.59. *Negat Conſt.Elect.Sax.25.*pa.2.*Hæc quæ ſupra dicta ſunt de amiſſione arrharum intelligenda ſunt de contractu nondum perfecto: Quid verò de emptione perfecta dicendum, num tunc etiam cum arrharum diſpendio liceat recedere, valde ambigitur? Nos negamus* arg.l.3. C. de ſponſ.& arr. ubi dicitur quod arrharum datio per ſe ſit contractus: E.ex illis nihil infertur, utpote quorum ſeparata eſt cauſa & ratio l.ult.ff.de calumn.Deinde etiam arg.l. contractus C.de fid.inſtr.& pr.h.tit.hi textus enim loquuntur diſertè de contractu imperfecto, quod patet ex verb. pr. h.t.is qui recuſat adimplere contractum Bronch. cent. 2.aſſ.54. Weſ.in par.n.9.h.t.Hœn. contr.diſp.16.th.5.Diſſ.Mynſ.ad d.pr.n.6.& Schneid ibidem Fach. lib.2.contr.c.28.per l.2.C.quando lic.ab empt.diſc. Ex his ita quæ ſupra deciſis argumento à contrario ſenſu ducto concludimus; ſi contractus jam perfectus & conſumatus eſt, tunc emptorem & venditorem à contractu nullo modo reſilire poſſe, quæ noſtra ſententia confirmatur amplius per particulam donec all.pr.h.t.l.34.§. ſi emptio ff.de contr.empt.l.21.ff.de hær.& act.vend.l.31.ff.de act. empt. l. 5. §. mortuo 2. ff. de reſcind. vend. l. Lucius 11. ff. de evict.l.39.§. his conſequens ff. de ſolut. l.8.& l.11. ff. de per.& comm.rei vend.Mynſ.ad §.non aliter Inſt.h.t.(b) *Secundum effectum quod attinet perfecto & conſumato contractu periculum & commodum rei venditæ ſtatim ad emptorem tranſit licet res adhuc penes venditorem ſit*§.cum autem Inſt.h.t.l.1.&l.fin.C.de per.

& comm. rei vend. l. neceſſario §. ſi ita res ff. eod. *Hæc tamen intelligenda de certa quadam re vendita: ſecus autem eſt, quando aliquid eſt in genere venditum, venditoris periculo eſt, dum tradatur, impleaturq; venditio* l. in ratione ff. ad l. Falcid. *ita ut precium integrum venditori ſolvere actione ex vendito compellatur. Quicquid enim poſt emptionem contractam ſine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor ſecurus eſt* d. l. neceſſario ff. de per. & comm. rei ven. l. pen. C. eod. *Hæc regula tamen multas admittit fallentias*, quas videre potes apud Mynſ. ad §. cum autem Inſt. h. tit. Schneidwin. ibid. *De nullo igitur alio quam culpa lata & dolo venditor obligatus eſt* l. 62. in f. C. de contr. empt. l. 35. ff. de act. empt. l. 8. 12. 13. 14 ff. de per. & comm. rei vend. l. 14. in pr. ff. de furt. *proindeq; ſi res empta priusquam tradatur pereat, vel furto amittatur, citra dolum & culpam venditoris perit* all. tex. & l. 5. l. 16. ff. de per. & com. rei vend. *niſi venditor conſervationem & cuſtodiam rei venditæ in ſe recepit, tunc enim cum hominis proviſio legis proviſionē tollat, & pacta legibus derogare poſſint, ſic amiſſa & ſubtracta res cenſetur* all. §. cum autem & l. 35. §. ſi res vendita ff. de contr. empt. *Ad hæc tria enim tenetur venditor, ad dolum, ad culpam, & ad id quod in ſe recepit* all. textib. *Huic noſtræ aſſertioni videtur adverſari* l. pignus C. de pign. act. ubi traditur, quod caſus & periculum rei ſpectant ad eum, qui eſt dominus: Sed ante traditionem venditor adhuc eſt dominus §. cum autem Inſt. h. t. in f. 2. *Reſponſionem pete ex* L. 1. & 2. C. de pign. act. *Viceverſa autem quemadmodum periculum ſic & commodum rei venditæ ad emptorem ſpectat* all. textib. *ſecundum regulam: qui ſentit periculum, ſentiat etiam commodum*, L. ſecundum naturam ff. de R. J. *Proinde quicquid à die perfectionis contractus rei emptæ accedit, id omne ad emptorem non ad venditorem pertinet, licet traditio nondum ſit ſubſecuta* all. §. cum autem L. 7. in pr. ff. de per. & com. rei vend. d. L. 1. C. eod. *Hujus conſectarium eſt, quod theſaurus*

ſaurus in domo recenter vendita inventus totus emptori, nec venditori pro dimidia parte cedat per L. à tutore 67. ff. de R. V. L. quod non. 3. ff. de acquir. rer. dom. Arum. in deciſ. dec. 1. (c) *Hoc tamen tertii effectus loco habet emptor, quod ſi forſan contingat, ut res pereat, deterioretur vel furto ſubtrahatur, venditor ei ſuccurrere debet, cum ipſe adhuc dominus ſit, nec dominium in emptorem ſit translatum, proindeq; nec proprio nomine emptor agere poſſit, cum dominus non ſit, & actiones, quibus res recuperare, ac in priſtinum ſtatum reducere poſſet, cedere teneatur* all. §. cum autem in fin. & L. 4. ff. de act. empt. (d) *Quartus autem effectus emptionis venditionis perfectæ & abſolutæ maximè inſignis eſt, quod venditor rei venditæ dominium in emptorem transferre, vel evictionem, hoc eſt, ejus, ſi ipſe rem in poſſeſſione non habet, recuperationem,* L. non tamen ff. de evict. *præſtare teneatur* L. in vendendo. 67. ff. de contr. emt L. ex empto ff. de act. empt. L. non dubitatur. C. de evict. *Hinc conſequitur, quod venditor præcisè cogatur rem venditam emtori tradere, nec præſtando intereſſe liberetur, dummodò facultatem habeat rei tradendæ,* §. ſed & 2. in ver. & res tradatur Inſt. h. t. Item ex L. 11. ff. de act. empt. ibi. inprimis præſtare oportet, verbum enim Oportet neceſſitatem inducit, ut in L. 1. ff. de Juſt. & Jur. ibi, ante omnia noſſe oportet. Liquet etiam hoc ex §. precium. Inſt. eod. ibi. omninò res tradatur; nam ſecundum Zaſium hæc vocabula nullam modificationem aut limitationem recipiunt, ſicuti de vocabulo omnimodo apertè probat L. 3 §. 1. ff. naut. caup. ſtab. L. 55. §. 4. ibi. omnimodo requirendo C. de donat. Probatur etiam ex multis textibus, quos allegare omnes, ſupervacuum eſſe duco. *Hæc noſtra ſententia præjudicio Cameræ confirmata eſt,* Mynſ. cent. 1. obſ. 53. Diſſentiunt Dd. arg. L. ſicut §. ſi debitori 12. ff. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv. L. 2. C. de per. & com. rei vend. Alii aliter arg. L. in actionibus ff. de in lit. jur. L. 30. ff. de contr. emt. Alii aliter arg. L. ſtipulationes non ff. de V. O. L. ſi quis ab alio. §. fin. ff. de re jud. *Illud adhuc dubium, num etiam hæres ejus obligatur præcisè ad rem venditam tradendam? Quod de jure civili*

vili affirmatur per L. ex contractibus 49. ff. de A. & O. *Secus de jure Saxon.* per art. 9. lib. 1. Landrecht & ibi gl. *Illud etiam hic notandum de Jure Saxonico, Judæum non teneri de evictione,* Landr. lib. 1. Art. 7. (e) *Huic effectui quaſi è diametro opponitur & certa conſequentia annectitur 5. effectus: Ut ſcilicet ab emptore venditori precium numeretur virtualiter, id eſt, ita, ut venditor pecuniæ dominus efficiatur,* L. ult. ff. de condict. cauſ. dat. L. 1. verſ. nummos fecerit accipientis ff. de rer. permut. L. ſi ſervos 7. C. de act. empt.

F I N I S.

ROMA